ORATIO
IN FVNERE
ILLVSTRISS. MARCHIONIS
ALFONSI
BEVILAQVAE.

AB ALFONSO PANDVLFO,
Habita Ferrariæ.

Ferrariæ, Apud Victoriũ Baldinii 1610.
Superiorum Permissu.

Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo

CARDINALI BEVILAQVAE

Domino ſuo Colendiſsimo.

ALFONSVS TANDVLFVS F.

HABES Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime Cardinalis è florido Illuſtriſsimi Fratris tui laudũ viridario collectum ſertum, non ſatis eleganti artificio illigatum, neq; propterea T. A. non minus politioribus litteris, quàm cæteris ſcientijs ornatiſsimæ offerendum. Quare vereor ne hoc ſolo redarguar nomine, quòd abſq; decenti ornatu ampliſsimum theatrum virtutum Marchionis Alfonſi ſim ingreſſus, verum etiam quòd præcoces ingenij mei fructus tuo guſtui ſuauiſsimo exhibuerim. Equidem dum hæc ſpectabam, rudem hunc ipſum, & ſepultum adhuc tenebris fœtum antè clariſsimam iudicij tui lucem nũquam apparere, ac inſignia tum Fratris, tum nobiliſsimæ Beuilaquæ Familiæ præconia ſilentio potius venerari, quàm verbis carptim, breuiterq; perſtringere mecum ipſe ſtatueram. Sed tametſi hunc panegyricum arte pauperrimum ſemper agnouerim, tamen ob expreſſam in ipſo obſeruantiæ, intimæq; in A. T. & Illuſtriſsimum Beuilaqueũ genus deuotionis imaginem,

fore vt ad te non vſquequaq́; deſpiciendus accederet in ſpem aliquam ſum adductus: quoniam in eo ſi non facundi laudatoris, veri tamen ſplendoris veſtri admiratoris partes, et ſi non ingenij, voluntatis certè vires non eſſe improbandas arbitrabar; quantum enim facultas defuit voluntati, tantum voluntas præſtitit facultati, vt nihil magis voluerim, nil vero minus valuerim. Veruntamen tua incredibilis benignitas hanc trepidantem, & rubore confectam orationem erigit, atq; ſolatur: quemadmodum enim ſingularem præ tuarum virtutum præſtantia animo meo erga te conceptam deuotionem (vt ſpero, opto quidem) non aſpernaberis, ita quoque hoc qualecunque, exile certè fateor, eiuſdem obſequentiſsimi animi pignus humaniter tua naturali lege te ſuſceptu-rum eſſe confido. Quod ſi mihi liceat impetrare, & haſce lucubrationes hoc nomine fortunatas, & me tanti Herois ore omnium celebratæ benignitati deuinctiſsimum perpetuò fatebor. Finio finiendo nunquam obſecrandi D. O. M. vt T. A. vitæ diuturnitatem fœlicitate opulentiſsimam largiatur. Ferrariæ, &c.

O R A T I O.

CVm multa præclara ſunt, quibus Reipublicæ amplitudo illuſtratur, & vitæ dignitas retinetur, tum nihil efficacius fingi poteſt, quàm vt præſtantiſſimis ciuium factis propoſitis clarior Ciuitatis honos eniteat, & humanæ mentes ad egregia facinora inflammentur. Etenim ſcitè Demoſthenes memoriæ tradidit ciuium honorificentiſſima geſta optimarum legum inſtar Ciuitati eſſe ornamento, & magis, quàm auguſtiſsima propylæa, molesq; ſumptuoſiſſimas Vrbem ornatam reddere, atq; ſpectabilem: quòd hæc edaces temporis vires demoliuntur, illis autem in perpetuo famæ templo euectis trophæis nullam iacturam temporum iniquitas, nullam perniciem calamitas, nullam obliuionem æternitas affert. Atq; laudatiſſima eiuſcemodi hominum acta, ceu facũdæ linguæ mortalium animos, vt in perpetuam uirtutis poſſeſſionem incumbant, vehementius, quàm muta Sapientum monita cohortantur. Quamobrem ſapienti quidem conſilio factum arbitror A. vt hodierna die Illuſtriſſimi Marchionis, & ſtrenui Ducis Alfonſi Beuilaquæ virtutes eximiæ, ac heroicè geſta publicitus celebrentur, non tàm vt ipſi hæc acerba ſolatia grati doloris impẽdantur, quàm vt eius commemoratæ gloriæ nitidiſſimum iubar ad colluſtrandum Ferrariæ decus diffundatur, & generoſa corda, veluti noui Themiſtocles Miltiadis experrecti tropheis flammam laudis auidè corripiant, & ad operum æmulationem, glorioſique laboris ſpeciem facillimè alliciantur. Quorum namq; defunctorum admirantes laudamus virtutes, eorum veſtigia ſunt nobis anxio gradu premenda; Quippe ſapienter Pericles, qui mauortia certamina muſarum concentu mirificè temperabat, Palladis non minus ferocibus, quàm mitibus armis communitus, luculentiſſima Athenienſibus habita oratione teſtatum apud Thucydidem reliquit, fortiſſimorum virorum corpora terræ pompa decenti eſſe mandanda, eorum verò ſuperſtiti gloriæ dignitati immortale ſepulcrum in viuorum pectoribus, gratorumq; ciuium animis excidendum: quod monumentum ab eo vocatur perpetuum, vbi poſteritas egregio viro decus rependit non tam in eo dilaudando, quàm imitando. Verùm neſcio quo meo fato preconijs efferendi, æmulandaq; Alfonſi facinora veſtris mentibus imprimendi ardua mihi moles incubuerit: ſi quidem cum ſuarum laudum, & virtutum ſpecioſiſſima imago, numeris omnibus abſoluta veſtris ſit animis efformanda, non impolitum, ſed completum, non rudi, ſed eleganti orationis penicillo, tanquam in Apellis, aut Protogenis tabula expreſſum ſimulacrum eſſet veſtræ mentis oculis exhibendum. Cæterum ea eſt deſcribenda hominis præſtantia, ut quemadmodum

videa-

videatur, si oratio mea tum rei magnitudine obruta, tum hac luctuosa rerum omnium facie perculsa, squallida, pigmentis omnibus spoliata, magnificentissimum tanti viri exemplar duntaxat leuiter adumbratum vobis hodie proponat contemplandum. Enimuero si Alfonsi nobilitatem, quæ vt à summis hominibus, eruditissimiq; accepimus, fortunæ bonum est a maiorum amplitudine conditum; omni arte, omniq; studio pingere conarer, qui possim vnquam vetustum Beuilaquæ gentis splendorem, admirandaq; maiorum decora oratione penè loquente pictura exprimere pro dignitate? nam vt in Iunonis Laciniæ simulacro Zeuxis manu fermè animato, quicquid puchri in pluribus, formosissimis fœminis eminebat collectum mirata est antiquitas, ita quotquot ornamenta in cæteris nobilissimis familijs multiplici honorum pulchritudine spectatissimis matronis dispersa sunt in amplissima Beuilaqua progenie fœcundissima Heroum matre quasi compendio quodam suspicimus felicissimè congregata: Quandoquidem si generis ille priscus honos cohortis cæterarum dignitatum antesignanus est spectandus; hæc soboles è Germaniæ Principibus, Halaq; oppido in Tiruli comitatu ditissimo emanauit; ac è Germania deducta, quasi Colonia, Italiam, cuius sinu primas altè radices egit, annos amplius sexcentos colit; quæ Mediolano, quò primum se recepit; Veronam progressa est, inde Ferrariam non immutata, sed protensa prole virorum, fœminarumq; perrexit, atq; adeò breui propagata est, vt cum nobilissimis, ac Serenissimis non Ferrariæ modò, verum totius Italiæ familijs, quas minimè recensere uacat, coniugiorum affinitatibus, ac propinquitatibus mixta sit. Quæ omnia, cæteraq; longè maiora vita memoriæ historia vbiq; gentium dissemináunt; cum pauci sint admodum, ad quos Beuilaquæ domus fama litterarum monumentis euecta nō peruaserit. Quis enim est adeo rerum ignarus, adeo historiarum expers, qui nesciat Beuilaquas Heroes bello, pace, scientijs, honoribus celeberrimos extitisse? Quis ignorat Morandos, Guglielmos, Franciscos, Christinos, Gherardos, Bonifacios, Antonios, innumeros alios, qui ex hac familia, velut ex equo Troiano, tot milites prodiere; Mediolani Ducum, Principum Scaligerorū, mox Ferrariæ Ducum dominatus, & belli consiliarios; uniuersæ militiæ apud eosdem cunctos Principes Imperatores, pacis firmamenta Reip. Veronensis, quàm plurimorum difficilium bellorum robora, Veronæ, Vicentiæ, Brixiæ, Cremonæ, Patauij, Parmæ, Mutinæ Præsides, Ferrariæ moderatores; Patres, & Præfectos Vniuersitatis uocatos, inter potentissimos Principes pacis conciliatores; apud Duces, Respublicas, Cesares, Reges, Pontifices in grauissimis rebus peragendis nuncios; innumerisq; deniq; honoribus insignitos vniuerso terrarum orbi per multos seculorum tractus ad hæc vsq; tempora illuxisse? Non enim huius familiæ uires longis unquam annorum progressionibus elanguêre; non magnanimi spiritus uigor ingrauescente iam Mundi ætate consenuit, sed cum

diutur-

diuturnitate potius firmitatem suscepit, & incrementum. Hoc nimirum Beuilaqua stirpe natis diuinitus datum videtur, vt ipsis nascentibus Heroum numerus locupletetur, vnâq; cum ijs virtutes germinent, & adolescant: quas vt exercerent, & Heroica quæq; aggrederentur, non solum diuitijs affluere, quando fortunæ sterilitate, aiebat Epicarmus, maxima nequeant perpatrari, verùm etiam multis imperare ditionibus promerebātur; cum maximè deceat (prudenter Isocrates) eos, quorum animi, vt omnium bonorum regna in honore habentur, cæteris regnare, compluresq; hominum cætus moderari. Quapropter optimo quidem iure Gens Beuilaqua Comitum, Marchionumq; seriem nunquam vidit interruptam, & annos amplius tercētos multis oppidis, Beuilaquæ, Machasturnæ, Cornuueteri, ac iuueni, Maleto, nuperq; Marchionatibus quatuor Thismantuæ, Tornani, Serræ, Fontanellarumq; dominatur. Quid tanta opulentia, quid tot dominatus; quid tam antiqua ditionum possessio significare videtur? num vi? num fraudibus? num fortuna? an potius virtutum præstantia, egregijs conatibus tot potestates adeò longa annorum catena retentas ab ipsis esse comparatas, rectas, conseruatas? quando.s. fraudolenter, & fortuitè parti dominatus, & absq; prudentiæ regimine consistentes monitu Xenophontis facillimè labefectentur, & quàm citissimè collabantur. Neq; vero diuitiæ, & potestates ipsis vnquam, vt plerisq; mortalium ad turpiter gerenda viam strauere, sed quæ imperia, quæ opes voluptatum Sirenæ, scelerum pabula, superbiæ nutrices, auaritiæ matres, animi carceres cæteris esse solent, ipsis fulcimenta nobilitatis, beneficentiæ bases, pedisseque humanitatis, ad magnanima inuitamenta; ad humanam felicitatem tramites, ministræ bonorum omnium extitere. Quod si verè diues, & dominus est dicendus, qui benè opibus, benè fruitur potestate; hi verè locupletes, verè domini sunt appellandi: quos si Diogenes ille Cynicus videret, cum diuitijs, & dominatibus virtutes consociari posse haud quaquam inficiaretur. Quæ cùm ita sint quis nostrum admirabitur viros, tam nobiles, tam insignes, tam bonis omnibus affluentes à Ducibus, a Regibus, ab Imperatoribus, a Pontificibus esse honoribus illustratos, in eorum familiam adscitos, eodem cognomine nūcupatos, eodem stemmate donatos, priuilegijs auctos, amplissimis stipendijs decoratos? Quis mirabitur præclarissimas Italiæ Ciuitates hāc gentem exoptasse, in ciuium numerum adscripsisse, iure Ciuitatis donaße? Venetias, dico, Ianuam, Bononiam, Patauium, Lucam, Ticinum, Mantuam, Mutinam, Cremonam, Perusium, Camertum, alias: vt quemadmodum fons ingeniorum, & coriphæus Poetarum *Homerus inter Colophonios, Chios, Salaminios, Smirnæes magnam excitauit dissensionem, quòd omnes eum ob eius præstantiam certatim sibi ciuem adsciscerent; haud dissimili ratione hāc domum beneuolentia prosequendo, gremio recipiendo, suam agnoscendo Vrbes præcipuè dulci amoris certamine dimicarunt. At quid ego A. huius familiæ*

ma-

magnitudinem orationis meæ angustijs, quasi Iliadē nuclei cortice enitor includere? Quid ego nitorem ipsi, veluti lumen soli Monarchæ lucis mei sermonis obscuritate afferre studeo? Ipsamet familia suis insignibus ita facundè proprias explicat laudes, vt nullam quantumuis disertissimæ linguæ facultatem desiderare videatur. Ala, quæ gentilitium stemma insculpit ab industri Dędalo, nempè a virtute, & ab alata fama donata, hanc ita elatā eſse progeniem ostendit, vt inter cæteras clarissimas sublimi volatu emineat, & quot pennis ala contexitur, totidem Beuilaquæ gentis amplitudinem scribere, totidemq; ex temporis alis distractæ videntur, ne suo præpeti volatu priscorum tantæ stirpis Heroum memoriam secum ferat, eaque ipso fugiente fugiat. Hæc est ex alis Platonicis, qua tot egregij viri ad eximias operationes sunt euecti. Hæc Aquilæ albæ Romanorum olim stemmatis ala est, qua hæc prosapia in dies pernicissimo volatu ad humanæ gloriæ solem eleuatur. Hanc deniq; earum columbarum vos eſse alam aſſerite, quæ cœlestibus è nidis euolantes ad arborem aureis diuitem ramis à Latino decantatam Homero Ænæam direxere. Ala inquam cœlitus data est, quæ maxima præsagiens, & vetustæ stemmata referens nobilitatis, florentissimis hominum ingenijs ad auriferam huius familiæ arborem mente reperiendam, & suis celebrandā monumentis, veluti semitam commonstrauit. Neque hanc prolem plantam præstantissimis viris onustam, tanquam aureis vestitam ramis, varijs honoribus, ceu auratis comis fulgentem hoc discrimine dedeceat appellare; quod illa Iunoni infernæ, hæc Palladi militum, Sapientumq; Reginæ perpetuo dicata est; cuius aurei rami si falce mortis auellantur, alios auratos nasci videre est, inter quos vnus veré aureus Comes Antonius Marchionem Alfonsum mundo fructum peperit singularem: Antonium autem, vel ipsi agnouistis, vel à maioribus vestris accepistis, quanta in eo vno virtutum ornamenta conspirarent, vt redundantis operæ foret uebis notam eius laudum coronam retexere. Illud tamen vnum silentij latebris delitescere non patiar, quod admirationi erat omnibus, quò rem planè mirabilem obseruabant. Ita enim uir omnium uirtutū genere cumulatissimus, quæ coire in uno difficilè poſſunt copulabat, ut quæ singula singulos exornant, ea hominem illustrarent uniuersa. Generis nobilitas, & litterarum cultus perrarò conueniunt. Diuitiæ, modestiaq; ferè nunquam consociantur. Doctrinæ, uitæq; integritas in paucis admodum coalescunt. Hæc tamen omnia in Antonio ita iugata uisebantur, adeò in tanta dissensione concordia, ut natiua, propria, ac proindè minimè inter se pugnantia non extrinsecus accita uiderentur. Quamobrem cunctis Principibus Atteſtinis prædilectus, imperante Alfonso ultimo Ferrariæ Duce Mutinenses plures annos rexit, ac alijs honestissimis muneribus peregregiè functus est. Ex patre uerò tam insigni duo quoque superstites Alfonsi fratres, non tam suæ familiæ, non tam Ferrariæ, quam huius

ius

huius sæculi lumina prodiere, qui gnati tanto genitore uerè digni ab ipso oē Heroicū, tanquā patrimoniū sic receperūt, receptū seruarunt, seruatū, amplificarūt, vt in eorū laudibus persequendis oēs artis thesauros exoptem, oēs fitiam fontes eloquij. Quis.n. vtriusq; decora, & vastissimū virtutū Oceanū breui verborū ambitu, quasi angusto lintre vnquā poterit permeare? Quis amplissimi Cardinalis Alfonsi fratris Tyberis, & Eridani splēdoris, noui Mæcenatis, Numæ secundi potentissimos laudū campos orationis giro, tanquā exiguo circino metiri posse confidat? qui cū antea Cardinalib. virtutib. eniteret, & oē id, quod ipsum semper ante mundi faciē spectabilē reddidit, nobilitas, ingeniū, opera, vitæ integritas futuri Cardinalatus gloriā redoleret, meritissimè in venerabilē Romanorū Purpuratorū patrū Senatū Clemens VIII. venerandæ semper memoriæ Pont. verè Max. cooptauit. Et sanè non tā, vt eius merita in edito loco, in tanta hominū luce collocata debitis afficeret præmijs, quàm vt illum augustissimum Heroum cœtum, cœlum verius dixerim hoc nitidissimo sydere illustraret, atq; vt Ecclesiæ, sanctæq; fidei ædificium huic sacro innixùm cardini firmius extaret, & inconcußum. Quò fit, vt non tam auuorū splendore niteat, quàm proprio, non tam dignitate, quàm virtute cæteris præstet, non tam Ecclesia, & purpura illi conciliet honorem, quàm ipse Ecclesiæ, ac purpuræ sit ornamento. Quē ad Cardinalatus dignitatem non ad suorum honorum metam Dei benignitas destinauit, natura genuit, virtus direxit, sed hac honoris amplitudine, quasi postremo gradu ad Vaticani fastigij principatum est euehendus: vt præsens purpureus splendor, ceu aurora nascentem supremæ dignitatis Solem annunciet; cuius fulgor iam iam ob meos tam propè obuersatur oculos, vt acie vehementer hebescente lumina sint aliò, ad alterum Alfonsi fratrem conuertenda. Præsentem verò ipsum efferre preconijs, vt ipsius dignitas postulat, eius in primis prohibet modestia singularis; præter cæteras.n. virtutes suas eximias, hec in ipso semper excelluit, vt se laude dignum malit, quam laudari; cū eius merita tanta eloquentia proprias exprimant laudes. Ecque tamen hac venia à modestia sua impetrata ipso digna, digna suis virtutibus, honoribus, benignitate digna mihi oriri posset oratio? tam sublimis enim est, ac tam amamplè diffusa in omnium laudum, virtutumq; genere sua claritudo, vt si adeò excelsa infirmis eloquentiæ pennis petere conarer, alter Icarus haud dubiè in mare corruerem temeritatis: quo circa illud verè affirmare posse videor, nullā huic verò adeò insigni, aut maiorem, aut veriorem impertiri posse laudē, quàm quòd laudari pro dignitate minimè possit. Sit igitur ingentis panegyrici loco Magni Hetruriæ Ducis iudicium, Ducis inquam illius non tam nomine, quàm gestis verè Magni, digni tot imperare, tot iura mundis prescribere, quot in eius gentilitio stemmate insculpta conspiciuntur: qui cùm in florentissimo dominatu tantam insignium virorum copiam habeat, quantam fortasse alius, cui limi-

tes imperij sint laxiores, nanciscatur, cęteris tamen omnibus prętermissis, vnū delegit ad Italię Principes, exterosque Illustrissimum Marchionē Aloysium legare, vnum, qui penes potentissimos Reges, ac Duces grauissima perageret negotia; vnum in quem summos conferret honores, quem denique nobili emerito stipendio cohonestaret: Verumenimuerò dum in aliena ditissima laudum ditione peregrinamur, vereor ne uos propria Alfonsi pręconia angustis, & pauperibus includi limitibus arbitremini. At quotus est quisque vestrum, qui non sentiat ipsum non solùm proauuorum gloriam, patris vitam, fratrum virtutes assidua imitatione expressisse, ex quo magna in eum laus emanat, sed natiuis virtutibus, peculiaribus encomijs, quibus sub orbis oculos illustrior, & gloriosior emicuit, mirum in modum abundasse? quippe qui turpe, pulchroq; animo indignum esse rebatur pretiosam nobilitatis vestem à maioribus acceptā proprijs opibus pretiosiorem non efficere, in aureoq; Beuilaquę claritatis à veteribus elaborato monili suas quoq; margaritas non intexere: Qui semper primarij tragicæ scenæ artificis, sententijs densissimi Poetę Euripidis illud animo fouebat effatum, eximiam quidem esse notam inter mortales splendida stirpe satum esse, sed nobilitatis nomen fortibus factis, & dignis magis, magisq; illustrari. Quapropter eum viuendi cursum tenuit, vt eius vita coucentus virtutum, perpetuaq; laudum concordia habita sit: Neq; tantummodo vitę caput perfectum effinxit, ut Appelles, qui cum Veneris vultum perfecisset, reliqum corpus deseruit informatum; sed non minus postrema medijs, quàm media primis eodem ducta filo summa cum dignitate responderunt. Primum namq; annorum iter aggressus cum simul lacte augustas suxisset cogitationes, uitia, quibus acerba ætas deliniri solet, ueluti serpentes nouus Alcides, adeò acriter enecabat, ut permagnę indolis specimen præberet, adeoq; formosum uitæ uestibulum ædificij reliquæ uitę pulchritudinem indicaret. Vbi uerò ætas adoleuit in duarum uiarum limine instar Herculis constitutus in arduam, spinosamq; uirtutis uiam se dedit, animumq; ferè dixerim aureum malum, non ut Paris titillantibus Erycinę uoluptatibus, sed totum Mineruæ impertiuit: a qua ita ad pręclara queq; animabatur, ea militari peritia, eaq; multiplici rerū cognitione imbuebatur, ut in nobilissimorum iuuenum cœtum Ferrarię Ducis Alfonsi Secundi ministerio maiestatis ergo assistentium cooptatus, florido ætatis Aprili maturos, ingenij, prudentiæ, fortitudinis fructus proferret, nec non in uarijs equite dignis muneribus exercendis cæteris iuuenibus proponeretur exemplum ad imitandum. Quarum ob rerum magnitudinem maiori in ipsum beneuolentia Princeps accensus, non modò nobilem, quem appellant Cubicularium elegit, sed etiam Mediolanum ad Ducem Montis Martiani Gregorij XIV. Pontificis Max. nepotem, tum uniuersæ Ecclesiasticæ militiæ Imperatorem, ad Regium Mediolani præsidem, unaq; ad Ducem Parmę, ut cum

ipsis

ipsis uaria gereret negotia, legationem obire iussit. Quo tempore latissimum campum suas exercendi uirtutes nactus, sic boni nuncij partes omnes impleuit, ut in eo legando Ducis prudentiam sua in omnibus conficiendis prudentia cõprobaret, cunctaq; tanta facilitate, & fęlicitate administraret, ut non tam Ferrariæ Ducis personam gerere, quam nobilissimum eiusdem animum, & excelsas in ore omnium uirtutes repræsentare uideretur. Atqui meministis, opinor, Viri ornatissimi, quod à mutis magistris, & ab experientia sæpènumero didicistis, generis claritudinem a maioribus in liberos ut occultum quoddam auitarum uirtutum semen instillari, quod suo tempore fęcundum è fecaci animi solo nobilium meditationum germen edit, posthac ad propagandas heroicarũ actionum opulentissimas segetes dilatatur. Quamobrem Alfonsus è longa phalange bellatorum egressus, à parentibus ingeneratam animo ad prælia propensionem angusto pectoris campo diutius incaßum alere minimè passus; nihilo secius assidua maiorum recordatione, quasi facibus inflammatus, posthabita umbratili hominum uita, luxuq; aulico animum, gressumq; ad prælia conuertit. O uerè generosi animi experimentum: Quid iucunditatis habeat natale solum; quid cum affinibus, amicisq; consuetudo, quid uestra Ferrarienses equites grauitas, ac humanitas, nemo hominum, nisi planè ferreus, uel habes non ignorat. Maiore profecto, quàm usitata uirtute corroboratum animũ habeat necesse est, quem tot, tantarumq; rerum optata usura non lacescat. Ipse tamen carissimæ patriæ gremiũ, mortis faucibus, amicorum suauitatem, hostili amaritudine, conciuium comitatem, inimicorum feritate, placidissimum denique pacis otium, bellicis tumultibus suæ iuuẽtutis meridie Scipionem, Alcibiadem, Cæsarem imitatus, commutauit; quoniam profectò eum politici Philosophi legem non latebat, moremq; apud Persas olim inoleuiße, ut in certaminibus uirides anni contererentur; prudenterq; Myronidem Ducem exercitus in Boeotios dicere solitum, ad pręlia sero accedentes, ne in pugna quidem bonam operam nauaturos. Quare Sabaudiam lecta hominum, equitumque copia profectus sub fœlicissimis illius Ducis auspicijs aduersus Catholicę fidei hostes, dum Christi fideles, Ciuitatem nomine Caurum ceperunt, dimicauit. Quo in egregio facinore si à me petitis A quid Alfonsus egerit, à uobis quæram qaid non egerit: Quamuis .n. tyro miles, & uoluntarius esset, ita tamen senis militis, imò antiqui Ducis pensum absoluebat, ut nil esset adeò arduum, quod non adoriri moliretur, molitum non inuaderet, inuasum non expugnaret: qui semper hostium audaciam uirtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, uim ui superauit. O qualem illum uidere erat per telorum fulmina, per ferreã grandinem, anhelantem cædem, prius hostem aspectu, quàm gladio vulnerantem, animatam syrtem furiosos hostilis impetus fluctus confringentem, Christianum Herculem tartarea monstra nostræ fidei hostes prosternentem, ac pro-

fligantem: quò minus mirandum sit, si apud Sabaudiæ Ducem, Marchionem Estensem, equitum ductorem tanto semper in pretio, & honore fuerit habitus, tu dulcis quædam inter eos in eo diligendo, ac admirando contentio nasceretur; incerti an ipsum magis suspicerent, an amarent, admiratio uidelicet ex præstantia, & ab admiratione beneuolentia gignebatur. Neque uerò bellandi innatus ardor tantis potuit saturari trophæis, sed quemadmodum magnus ille Macedo plures non esse mundi ambitus, per quos sua animi magnitudo undiq; spetiaretur triumphans, conquerebatur, haud secus Alfonsus plura non urgere bella, quibus sua fortitudo protenderetur; Itaq; fama disseminata longinquis in in oris circumtonare certamina, Pappā a Cęsarianis obsessam, ad Archiducem Matthiam auxiliarius accessus, ab ipso stipendijs fuit honorificentissimè condecoratus; recepto deîn à nostris oppido, ad aliud oppugnandum, cui Canisium nomen est, pari ausu, sed progressu infeliciore profectus est: ab agmine.n. Turcarum longè maximo Christigenę aggressi, tantùm non periere; quare rebus tum paulisper compositis reuertitur in Italiam, ubi diu non persistēs a Ioanne Francisco Aldobrandino Pontificię Classis Imperatore Croatiam ductus, mille, ac ducentorum peditum agminis tribunus, belliq; Consiliarius, designatur, ad celsiores magistratus, ni ille obijsset, euecturus. Ideo ne defuere, qui ampliores in ipsum conferrent honores? Nonne statim Christianissimi Regis Henrici Quarti nobilis Cubicularius eligitur? quod grauissimum tanti Regis de Alfonsi magnitudine testimonium quantę apud omnium animos æstimationis debet esse? Ab eo Rege impartitū, cuius nomē suprema laus, cuius fortuna uirtus, cuius uirtus miraculū existimatur; qui plura bella suscepit, quā cęteri gesserūt, plura confecit, quàm cęteri susceperunt, cui bellū pax, ensis sceptrum, galea corona, labores trophæa existere. Et quisquam dubitabit quin eximia, singularia, diuina propemodum in Alfonsum conuenerint præstantissimarum ornamenta uirtutum, quem Heroum idęa, acerrimus hominum æstimator preclarissimo honore, aperta beneuolentiæ testificatione est prosecutus? Non tamen uestro iudicio minus grauis auctoritas Venetę Reip. uideri debet; à qua inter primarios militiæ Duces nobili stipendio primum conductus, mox uniuersarum copiarū; Brixiæ, Bergomi, Cremæ, ac aliorum oppidorum turbidis temporibus uno Senatus ore, sententia una Præses est renuntiatus: O admirandum decoris monumentum. O prçconium singulare. Illa, illa Resp. A. Heroum nutrix, prudentię sedes magnanimitatis Regnum, uirorum bellica uirtute prestantium seminarium, cęteris posthabitis tum proprijs generosis filijs, tum exteris strenuissimis uiris, quibus omnibus abundat, unum unum delegit Alfonsum, cuius integerrimę fidei, diligentię, constantię, experientię tantum munus demandatum uellet, hunc in pręcipuis Venetis ditionibus florentissimi militaris corporis animam procreauit, earumque arcium ualidissimam arcem constituit.

Qua

Qua in sustinenda prouincia aliquo tempore impenso, naturalis propensionis stimulis ad nauandam suo Principi operam incitatus, Sāctissimo Pontifici militarem præstare obedientiam egregiè actum existimauit; vt iure quidem optimo tum pro eius peruulgata præstantia, tum pro summa in Pontificium sedem spectata obseruantia, fidelitate, ac deuotione dignus censeretur, qui apud Picenū primum, inde apud Perusinos, & Umbrios populos vniuersæ militiæ, Castrorumq; præfectus a Max. viuente Pontifice crearetur. Etenim cum hic beatissimus Typhis Ecclesiæ nauis clauū teneat, si vnquam in eam bellorum tempestates sæuijssent, Alfonsum in procelloso certaminum pelago sagacissimum nautam destinarat, qui firmissima suæ virtutis ancora innixus, nobiles Pontificij dominatus ciuitates, nefarios Ecclesiæ hostes fugando, ac disperdēdo, à bellicis fluctibus vindicasset. Age quantum & hoc munus est? quam varietate præclarum? quàm magnitudine admirandum? quam cōmemoratione iucundum? quo vno si Alfonsi vita illustraretur, maximè spectabilis haberetur; quam vnam mercedem, si ex suis virtutibus, & honestissimis laboribus retulisset, vberrima certè foret, atque dignissima. Quod si olim honorificium erat à Romana Republica Fabium, Marium, Lucullum, innumeros alios exercituum gubernaculis præpositos admoueri, quanto honorificentius est hunc Ducem Romanæ non solum, sed Christianæ Reipublicæ Principis iussu, copiosissimæ militiæ Præfectum assidere? Hic si cancellos orationi meæ præfinirem, satis Alfonsi gloriæ, expectationi vestræ, officio meo fecisse viderer, tot. n. genere inaudita, copia innumera, excellentia magnificienda, præconijs affluentia excepistis, ut ad maiora fermè aditus includatur, & uobis suarum laudum fontes iam exhausti fortasse videantur. Aliò tamen me vocat numerosa gloria sua. Aliò autem? quasi uerò veneratus, miratusq; sim quanta militum iucunditate, incredibili omnium laude, summa omnium admiratione, tot tātisq; muneribus functus sit, sub quibus non modò vnquam non succubuit, sed potius quò maior ei prouincia delata est, eò magis sua se uirtus prolatauit, more palmæ, quæ quò grauius premitur, eò vehementius, eo altius insurgit. Et sanè quid aliud, nisi eximium, nisi omnibus linguis prædicandum ab eo Duce omni tempore sperandum erat, cuius præstantiam si quis vndequaq; fortassis non cognosceret, sibi egregij Ducis simulacrum ante oculos obijciendo breui epilogo comprehenderet; In eo namq; Imperatoriæ virtutes, fortitudo in periculis, in prospiciendo vigilantia, industria in agendo, in conficiendo celeritas, prudentia in omnibus gubernandis vberrimè floruerunt. Quæ autem scientię militari, familiæ cæterarum uirtutum primogenitæ par vnquam oratio poterit inueniri? qua ita excelluit, vt paucos habuerit pares; superiorem fortasse neminem, & cum ijs, quos antiqua tulit ætas, fortissimis Ducibus summo iure contendere queat. Nefas quippe arbitrabatur militem corporis viribus pollere, animi autem virtutibus non valere; atque in

prælijs

prælijs arma tantum, non ingenium quoq; pugnare: Gnarus optimè Magnum Alexandrum suo cognomento maiorem, Pyrrhum, Agesilaum, Pompeium, Cæsarem, cæteraq; tum Græcæ, tum Romanę militiæ Fulmina, quorum nomina nullis vnquam lethes fluctibus obruentur, non tam militum pręsidijs, quā scientiæ militaris armis celeberrimas victorias reportasse. Itaq; ut cæcus oculatissimus Vates Achillis clypęo argumenta certaminum miro artificio cælasse uisus est, haud impari ratione Alfonsus fortissimo animi clypæo germana militis munera, quęcunq; in pręcellentissimo ductore militum requiruntur, adamussim impressit, & quicquid ex sapientum monumentis hauserat, vsurpabat in loco, id consilijs destinatum, temporibus diuisum, moribus expressum in bellicę fortunæ usum referebat. Iam quid ego primum, ultimumq; de cæteris militaris disciplinæ comitibus, & administris uirtutib. commemorem? quę ad hūc acerrimum bellatorem perficiendum concursu mirabili conspirarunt; Ac primum, quanta, proh Deum immortalem! fuit morum integritate? quanta in sedando affectionum animi tumultuante exercitu temperantia? quāta fide? quanta liberalitate? iustitia? clementia? humanitate? quę profectò tanta erat, ut difficilè dictu sit, utrum hostes magis eius fortitudinem pugnantes timuerint, an comitatem uicti dilexerint, qui ab eadem Alfonsi manu, ceu ab hasta Achillæa sauciabantur, humanitate verò sanabantur. Et quemadmodum in Aegypto labitur fons, quo accensæ faces extinguuntur, extinctæ accenduntur, perinde ab Alfonsi animo amęnissimum benignitatis fontem scatere dixisses, quo faces irę in aliquem accensæ restinguebantur, extinctę amoris in alios inflammabantur. Sunt qui militaribus ingenijs ferocię plurimum, moderationis minimum inesse arbitrentur. Opinioni plerumq; non incredibili locum gregalium militū dedit consuetudo. In Alfonso consilio digesta, opportunitate ducta, discreta temporibus hæc erant: vt officio satisfecisset, posita ferocis Ducis persona, facilitatem, mansuetudinem, modestiam induebat; nec illi, quod usu rarissimum, uel auctoritatem clementia diminuit, uel clementiam decerpsit auctoritas. Vos uos testes milites appello, quibus hac morum suauitate adeò acceptus reddebatur, ut illi perpetuò obedire, quam uos alijs imperare maluissetis; quos non ui, non metu, ut Dionysius senior crebrò in ore habebat, sed maiestate suaui, grauitate leni, qualem in Principe Socrates, in Agesilao laudauit Xenophō, moderabatur. Vos deniq; testor omnes, quorum animos ita ad se alliciebat, & quasi Herculeo nodo obstringebat, ut si uos semel ad eius notitiam natura comitati quodāmodo lenoci nata pertraxißet, in amicitiæ fœdere benignitas naturæ sublandita retineret. Quid igitur hoc uiro admirabilius?, quis genere nobilior?, quis coniunctione fratrum illustrior?, quis uernanti æuo ingenio senior?, quis in negotijs prudentior?, ad arma prōptior?, fortitudine pręstantior?, honoribus clarior?, militari peritia instructior?, uirtutibus ditior?, humanitate tandem ornatior?.

O Du-

O Ducem Homerico cantu celebrandum. O animum excelsum, augustum, ad omnia summa natum, qui industria virtutem, uirtute gloriam, gloria æternitatem tibi comparasti, qui tot honorificentissimos haurire labores præclarum tibi, magnificum tuis, gloriosum Patriæ, fructuosum omnibus iudicasti. Ergo tibi fortasse mirum videbitur, Vir Illustrissime, quòd è tam ampla gloriæ segete, quam tibi dum viueres, multis magnisq; rebus gestis emisti, tanta nunc existat gloria, tot encomia efflorescant, tam copiosi laborum tuorum fructus in posterorum memoriam erogentur? Habent præsentes, habent posteri, quod in te assiduè spectent, meditentur, colant. Viuet semper, viuet tua insignis virtute vita, tam in se spectabilis, tot vrbibus salutaris: in se enim perfectum fuisse præclarum est, multis verò profuisse gloriosum. Neq; solum tua te Patria, verùm etiam gentes omnes, milites omnes, prouinciæ cunctæ, quæ tuo stetere præsidio, immortalibus præconijs commendabunt; nec enim interire potest, quod è virtute oritur, nec morte extingui quod vitam parit. Hæc tua germana dignitas, hæc stabilis gloria, ita vixisse, ut mori non possis, ita mori, vt vitam tibi mors pariat priore vita beatiorem. O virum in vita magnum, in morte maximũ. Tu tu non solum dum incolumis in humanis eras, heroicas actiones legitimas tuæ magnitudinis filias edidisti; sed etiam dum postremum cum morte certamẽ inires, incredibilis fortitudinis pignora protulisti. Vir magnanimus immaturo fato præuentus, mortem feram horriferam, teterrimum prædonem neutiquam reformidasti: & cum in bellicis discriminibus toties mortis spicula elusisses, nec etiam in extremo vitæ greßu eius ineuitabilia tela metuisti: Cum Solonis respõsionem illam Cræso animo combibisses, nemini felicis nomẽ competere, nisi qui feliciter vitæ stadium peregisset. Et sanè vita, quæ adeò præstantes habuit cæteras partes, erat actu laudatissimo terminanda. Sed quàm me inconsultò in acerbam tuæ mortis mentionem vis doloris impegit? Amarissima recordatio irreparabilis iacturæ perpetuis lacrymarum fontibus deplorandæ. Amissimus n. equitem, at quem equitem? omnibus omnium laudum insignibus ornatissimum. Quando amissimus? In vegeto ætatis robore, cum vberiores in dies laborum, ingenijq; fructus colligisset, & maius familiæ, nostræq; Patriæ ornamentum peperisset. Proh quàm varia, quàm uelox, quàm infida humanæ vitæ conditio, quæ in medio gloriæ, vitæq; curriculo, in omnium bonorũ affluentia, in summo dignitatum apice tantum virum exultantem dereliquit! Quis igitur, quis erit hodie qui præ tam inopinato funere non dolere constantiam, nõ lugere uirtutem censeat appellandam? merito Vos equites Illustrissimi affinitatis uinculo cum eo coniuncti, quorum in secundis rebus spectata moderatio, & in aduersis animi magnitudo, in tanto euẽtu cohibere dolorem non potestis, quasq; lacrymas vestra grauitas, moderataq; animi affectio compescere contendit, eas in demortuum propinquum elicit uis incredibilis beneuolentiæ.

Tuque

Tuque ò Ferraria, quę ad hoc lugubre spectaculũ tanto concursu conuenisti, ut in te pręsentium ęrumnarum concursum fortasse repręsentare, merito tanto uiro orbata, mæstitia, squallore, percussa iaces, merito hoc funus quasi tuo funere cumulatum uidere uideor; quanquam non tot vnquam argumenta doloris ex promes, quin multo maiora semper tanti uiri iactura mereatur. Eheu quò me effrenatus doloris æstus abripuit? Vela iam sunt contrahenda; aliqua dolori no stro medicina adhibenda. Viuit A. Alfonsus uiuit. E lacrymarum fluctibus, ac uitæ spe tanquam Cynosura illucescente emergamus, hac aura benigna in portum tandem tranquillitatis animi nauigemus. Viuit, non quidem amplius in hac vmbra uitæ, calamitosa tragædia, malorum omniũ eur po, palęstra mortis, sed in illo celesti capitolio, ubi proprijs coronatus meritis nostros gemitus irridet, gaudet, triumphat. Erigite igitur animos, erigite, & discussis męroris nubibus mentem lętitia serenate, cum Alfonso nil męrendum euenerit, nil deplorandum, qui certè non est amißus, sed ad fęlicitatem pręmissus, qui cadendo quasi nouus Anthęus gloriosior resurrexit, & de luctatione cum morte uelu ti cum strenuissimo Hercule triumphauit, quòd si ei inuida mors longius producere uitæ limites non permisit, uitę breuitas magnitudinis suæ fuit compendium, & quamuis breuem uitæ cursum habuerit, glorię tamen nactus est sempiternum.

F I N I S.

Die 16. Augusti 1610.

Ego Gaspar Leualorius Canonicus Theologus, ad id deputatus ab Illustriss. & Reuerendiss. Io. Fontana Episcopo Ferrariæ legi hãc Orationem, & nihil in ea reperi catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnans, quare imprimi posse iudico.

Gaspar Leual. vbi supra.

Die 13. Augusti. 1610.

Imprimatur.

Fr. Io. Bapt. Inq. Ferrariæ.

Dom. Camp. Vic. Episc.